

Universitätsbibliothek Wuppertal

Auli Gellii Noctes Atticae

Gellius, Aulus

Lugd. Batavorum, MDCLXXXVIII

Gedicht an Jakob Gronovius

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1123)

*Interea hanc patria pietatem respice mente ,
Quodque unum superest , accipe triste vale .*

S. MÜNCKERUS.

Viro Clarissimo

JACOBO GRONOVIO.

QUUM delassatam recreent nunc otia mentem ,
Incipiatque mihi mollior ire dies ;
Ecce libet rursus sacris servire Camænis ,
Castraque Pegasidum semper amata sequi ,
Dumque memor vestri tempus traduco favoris ,
Accendis flammæ , magne Vir , ipse in eas ;
Qui Latias Grajasque Deas , tua numina , honoras
Impiger , & multâ religione colis :
Hæresque ingenii dives decorisque paterni
Inscribis cælo teque tuumque Patrem ;
Qui nunc laudatur volitatque per ora virorum ,
Quos vigor ingenii fervidus intus agit :
Qui , licet abreptus fragili sit corpore nobis ,
Vivit , & est famæ conditor ipse suæ ;
Cujus tu vim confirmas celeresque volatus ,
Dum pius in Batavos , dum pius inque Patrem es .
Progreditur non infaustâ sic GËLLIUS aurâ ,
Et quodcunque tuâ construis ipse manu .
Quam bene , quod cælum tibi vires sufficit illas ,
Queis confirmatus barbara castra premis ;
Eruis atque alto quicquid veneranda vetustas
Possidet oppressum temporis invidiâ .
Ah , quoties , cum tu sævo confringere morbo ,
Ipse cado in luctus , ipse dolore gemo !
Ah , quoties , cum te tibi reddidit hora benigna ,
Redditus ipse mihi gaudia lætus ago !
Salve Musarum verissima gloria ; Salve .
Salve , Phœbei gloria luxque chori .
Sique tibi cordi est nostri pius ignis amoris ,
Accipe , quod vili dat tibi charta manu .

Non

Non nostrum meliora dare est. piâ tura cremamus,
Pauca licet. nostrum non meliora dare est.
Ergo salus quoque nostra placet? fausta illa, valemus.
Cura mihi Musa est, meque amor iste rapit.
Quem monitis augere, Virum doctissime, fidis
(Nec potes id certè dissimulare) soles.
Hoc mihi Leida dedit, te felicissima Leida.
Ah sine fortunæ me meminisse meâ!
Illic, Pœonias dum lustro pervigil artes,
Non mihi parvus honos te coluisse fuit;
Et vidisse tuâ miracula maxima mentis,
Quâ tibi doctorum scrinia cuncta patent;
Et tibi devinctas artes vero ore fateri;
Quod nec posteritas ipsa negare velit.
Quid memorem emissos studiorum in commoda libros?
Oppleta est scriptis Belgica terra tuis.
Belgica nec tantum plena est: non ulla valebit
Ignorans tellus nominis esse tui.
Te duce Romanos datur observare magistros,
Auspiciisque tuis Græcia tota patet.
Amotâ jam nube patet, docilique juvenæ
Non decepturo tramite pandit iter.
Acceptum fer Leida tuum clarissima honorem
GRONOVIO nato GRONOVIOQUE patri.
Hic colit ærias sedes, atque otia ducit,
Otia non illi tempore nota suo.
Ille patrem magnum sequitur jam passibus æquis,
Perque suas dotes nobile nomen habet.
O seculi decus! ô patriæ virtutis imago!
O dudum magnis annumerate viris!
Perge tuas ô virtutes diffundere latè.
Invidiam scriptis perge domare tuis.
Nec celes magni, quæ restant, scripta Parentis.
Non sunt tam divæ scripta premia manûs;
In scriptis superest nobis: & cresceret ipsis,
Si posset tanti crescere fama viri.

D. van HOOGSTRATEN.